



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Agenda, Sev Ritvale Osnabrvgense**

**Franz Wilhelm <Osnabrück, Bischof>**

**Coloniæ Agrippinæ**

Ordo recipiendi SS. Christi Corpus è sepulchro in sancta nocte Paschæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41233**

Verum, cum h.ec Cætimonia non valde tuta sit in Ecclesiis ruralibus, aliisque in locis, ubi fidi custodes & devote psallentes non reperiuntur; rectius illic faciet Sacerdos, si Corpus Dominicum post finem divini Officii tum in suum locum, vel Reservatorium solitum, reverenter deportaverit, illicque conclusum, tuto afferaverit.

### Ordo recipiendi SS. Christi Corpus è Sepulchro in sancta nocte Paschæ.

**N**octe sanctâ Paschæ, horâ congruâ, Sacerdos, indutus albâ seu superpelliceo, stolâ & pluviali albi coloris, & duo vel quatuor ministri (si haberi possint) cum debitâs paramentis, praecedente Thuriferario cum incenso & thuribulo fumigante, sequentibus juxta Crucem duobus Ceroferariis cum candelis accensis, Choro ac Clero, singulis cum suis candelis, veniunt ordine ad sepulchrum, pro deferendo processionaliter sanctissimo Sacramento. Coram quo factâ aliquantis per, cum genuflexione, sub silentio, Oratione, suas singuli candelas accendunt. Sacerdos, surgens ac stans, imponit incensum in thuribulum, absque benedictione. Deinde genuflexus thurificat Venerabile Sacramentum triplici ductu; illudque velo albo oblongo reverenter teatum, processionali ritu, precedentibus Clericis cum luminibus accensis, & ministro continuè thurificantem, cymbalisque personantibus, deportat ex sepulchro ad Altare majus, vel aliud, ubi ordinarie affervari consuevit: interim Choro inchoante, &, in tono festivo, interposito etiam ubi fieri potest Organo, cantante sequentem Hymnum:



A Vrora cælum purpurat, Æther resultat  
laudi-



laudibus , Mundus triumphans jubilat,

Horrens Avernus infremit.

Rex ille dum fortissimus

De mortis inferno specu

Patrum senatum liberum

Educit ad vitæ jubar.

Cujus sepulchrum plurimo

Custode signabat lapis ;

Victor triumphat, & suo

Mortem sepulchro funerat.

Sat funeri, sat lachrymis ,

Sat est datum doloribus :

Surrexit extinxitor necis ,

Clamat coruscans Angelus.

Vt sis perenne mentibus

Paschale Iesu gaudium ;

A morte dira criminum

Vitæ renatos libera.

Deo Patri sit gloria ,

Et Filio, qui à mortuis

Surrexit, ac Paraclito ,

In sempiterna sæcula. Amen.

E e 3

Itaque

*Itaque Sacerdos, cum pervenerit ad Altare antedictum, & posuerit ibidem Venerabile Sacramentum, facit profundam genuflexionem; stansque iterum, imponit incensum absque benedictione, & Venerabile Sacramentum triplici ductu, genuflexus, incensat. Postea canitur à ministris, vel ipso Sacerdote, ipsis defientibus, Vers. Surrexit Dominus de sepulchro, alleluja. Resp. Qui pro nobis pependit in ligno, alleluja. Sacerdos subjungit:*

**Oremus.**

**D**eus, qui hanc sacratissimam Noctem gloriâ Dominicæ Resurrectionis illustras: conserva, in nova familiæ tuæ progenie, adoptionis spiritum, quem dedisti: ut, corpore & mente renovati, puram tibi exhibeant servitutem. Per eundem Christum Dominum nostrum. *Resp. Amen.*

*Et, factâ Venerabili Sacramento profundâ reverentiâ, accepto super humeros velo oblongo albo, quo in Procesione usus fuit, ad Altare ascendit; Venerabile Sacramentum reverenter accipit; & stans, cum eodem, populo in modum crucis benedit, nihil dicens; illudque in Tabernaculo, absque ulteriore incensatione, recondit, & cum suis ad Sacrarium vel Chorum redit. In majoribus Ecclesiis inchoabitur Matutinum: in minoribus cantari poterit canto Paschalis: Surrexit Christus hodie, &c. post, vel alternatim etiam, Germanica per populum: Christ ist erstanden/ &c. aut Erstanden ist der heilig Christ/ &c. aut alia conveniens.*

**M O-**